



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 33. Petri Morini obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. duere, licitum esse, decisum fuit die  
A. C. 1608. septima Julii: Denique statutum die vi-  
 gesima septima Septembris, quod om-  
 nes Clerici etiam Canonici de manu ce-  
 lebrantis in Cœna Domini Sacramen-  
 tum Eucharisticam sumant, & quod anniver-  
 saria, aliæque Defunctorum Missæ, que  
 occurrunt in die festo in sequentem diem  
 transferri valeant. Præterea circa ad-  
 ministrationem Sacramenti Pœnitentiæ  
 Sacra Concilii Congregatio die sexta  
 Junii declarabat, quod Confessarius  
 tam sæcularis quam Regularis ad au-  
 diendas sæcularium Confessiones in una  
 Diœcesi approbatus, non possit in alia  
 easdem Confessiones excipere absque  
 Episcopi Diœcesani approbatione.

## §. XXXIII.

*Petri Morini obitus.*

*Dupin Bibl. des Aut. Eccles. t. 17. Simon letr. tom. 1. p. 313.* Non pauci ex Scriptoribus Ecclesiasti-  
 cis Religione Catholicis hunc an-  
 num suæ vitæ extremum habuere. Hos  
 inter primo loco ac merito recen-  
 dendus occurrit Petrus Morinus Parisiis  
 anno Christi millesimo quingentesimo  
 trigesimo primo natus. Hic juvenis  
 adhuc a suo Patre Caussidico ad foren-  
 ses disceptationes destinatus pro ingenii  
 sui amplitudine ad altiora gressum in-  
 tendebat, quocirca in Italiam tum ce-  
 leberri-

leberimum literarum emporium pro-  
fectus, primo sciendi ardore non nisi pro-  
fanos Authores evolvebat, mox tamen  
Sacris literis, Sanctis Patribus, & Ec-  
clesiasticarum antiquitatum cognitioni  
totum se dicabat, quibus in disciplinis  
tantum profecerat, ut suo ævo, si pa-  
rem, nullum tamen eruditione superio-  
rem haberet: Postquam autem Vene-  
tiis, Vicentiæ, & Ferrariæ literarum  
ac literatorum commercia aliquamdiu  
foverat, mortuo Patre suo anno  
Domini millesimo quingentesimo sexa-  
gesimo quinto Romam delatus, inde  
Lauretum & Veronam rediit, ubi Car-  
dinalis Navageri Episcopi amicitia usus  
Matthæi Geberi commentarium Sancti  
Joannis Chrystostomi in epistolas Divi  
Pauli nova versione illustrans, jussu Gre-  
gorii XIII. Sermones in Franciæ comi-  
tiis habitos latine reddidit, simulque  
de eloquentia & tropis Rhetoricis com-  
posuit librum, a Carolo Borromæo tan-  
topere æstimatum, ut Morinum Romam  
accerneret, ejusque vices in Vaticana  
Scholasticorum Academia agere jube-  
ret: nec ibi otiosus erat Morinus, cu-  
jus opera Gregorius XIII. & Sixtus V.  
præter Turrianum, Maldonatum & Cia-  
conium ad recognoscendum textum Græ-  
cum septuaginta Interpretum utebatur,  
hac autem occasione Morinus non modo  
*Hist. Eccles. Tom. LIV. Z eru-*

Sæc. XVII.  
A. C. 1608.

**Sæc. XVII.** eruditam epistolam circa Biblia horum  
**A. C. 1608.** Interpretum ad Sixtum V. scripserat,  
 sed etiam emendationis Decretalium &  
 Conciliorum Generalium editionis cu-  
 ram in se suscepit: Cæsari quoque Be-  
 ronio in concinnandis suis Annualibus  
 utilem navabat operam. Scripsit etiam  
 tractatum de infauftis Papæ fatiis, ne-  
 non alium de alienatione bonorum Ec-  
 clesiasticorum, in quo acriter in eos in-  
 vehitur, qui ad se suosque ditandos Ec-  
 clesiæ bona usurpant. Tandem Romæ,  
 ubi triginta octo annos morabatur, hoc  
 anno mortuus est. Utebatur stylo ad-  
 modum nitido ac facili, eratque Vir in  
 latino, Græco, hebraico, Syriaco &  
 Chaldaico idiomate ac Ecclesiasticis an-  
 tiquitatibus versatissimus, laboris im-  
 patiens, a proprii quæstus, ac novita-  
 tum studio alienus, pro Ecclesiæ ac Re-  
 publicæ literariæ bono propensissimus,  
 Religione & pietate excellens atque Ec-  
 clesiæ addictissimus: Commendatur præ-  
 cipue ejus tractatus de bono usu & ab-  
 usu Scientiarum, in cujus libro primo  
 admonet, ut in literaria exercitatione  
 proprii judicii pertinaciam, ac propria  
 laudis studium fugiamus: redarguit  
 quoque illos, qui in suis libris termines  
 in primitiva Ecclesia usitatos adhibere  
 erubescunt, omnesque libros simplici  
 ac nullatenus fucato stylo conscriptos

contemnunt. In secundo vehementer declamat contra illam perniciosam licentiam, qua quisvis typo, quem cæcum & quæstus famelicum appellat, libros pietati, Religioni & moribus noxios committere permittitur. In tertio dialecticam ad confundendos hæreticos oppido necessariam censens, eam a Theologis negligi & a Jureconsultis contemni deplorat: postremas Franciæ & Germaniæ calamitates inde exortas afferit, quod Episcopi nec pietate nec doctrina præstantes fuerint; hinc præprijis in Theologiæ studio summam Divi Thomæ prælegendam, postea Ecclesiasticæ Antiquitatis monumenta, Conciliorum decreta, Historiam Ecclesiasticam & Sanctorum Patrum opera & juris Canonici decreta sedulo perlustranda suadet. Demum Concilii Florentini editioni præmittit adhortationem ad Græcos, ubi de eorum schismate satis erudite discurret.

Sæc. XVII.  
A. C. 1608.

§. XXXIV.

*Martini Del-Rio mors.*

Non minus claram eruditionis famam post se reliquerat Martinus Antonius Del-Rio, qui Hispani ac prædivitis Nobilis Filius anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo primo

*Dupin. l. c.  
pag. 39.  
Alegambe  
Bibl. S. J.  
Langefeld  
in vita Mart.  
Delrio Mi-  
moræus Script.  
Sæc. XVII.*

Z 2